



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Eginhartvs De Vita Caroli Magni, Animadversionibvs Illvstratvs

Bessel, Friedrich
Reinhard, Johann Friedrich

Helmeftadii, 1667

Capvt IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10996

dum erit in Nostro, post administratum communiter triennio regnum; aut fides reliquorum omnium in suspensionem trahenda.

CAPVT IV.

1. CAROLUS autem, frate defuncto, consensu om-
2. nium Francorum rex constituitur. † De cuius nativitate atque infantia, vel etiam pueritia, quia neque scriptis usquam * aliquid declaratum est, nec quisquam modo superesse invenitur, qui horum se dicat habere notitiam, scribere ineptum iudicans, ad actus & mores, cæterasque vitæ illius partes explicandas ac demonstrandas, omissis incognitis transire disposui, ita tamen, ut primò res gestas & domi & foris, deinde mores & studia ejus, tum de regni administratione & fine narrando, nihil de iis * quæ cognitu vel digna vel necessaria sunt, prætermittam.

* N. ac R. aliquando.

* Cod. Flor. qua condita, vel digesta, vel nec. Perperam.

ANIMADVERSIONES

AD CAP. IV.

Decuius nativitate] Multa pridem super tempore ac loco natalium Caroli inter Eruditos agitata sunt. Quanquam de tempore tanta lis non sit, cum plerique Carolum anno 742. cum Lamberto Schaffnaburg. ac Sigefrido Presbytero, *Epit. lib. 1.* scribant, & quidem 28. Jan. si quibusdam credimus. De incunabilis autem Caroli etiam inter Germanos non convenit. Nam quod Galli apud se natum iactitant, pridem explosum est à Sebastiano Münstero: & clare Æneas Piccolomineus, *lib. de Statu Europa sub Friderico 111. cap. 31.* Carolus, inquit, quamvis Gallia potiretur imperio, Germanus tamen fuit, in Germania natus alitusque. Quod argumentum fusius pertractavit VVimpheling *in Epit. Germ. cap. 22.* Coeterum Joh. Aventinus *lib. 14. Annal. Bojoar. fol. 186.* & Petrus Appianus, *Carlsburgum* in Bavaria fuisse putant: inducti Veteri libro versibus antiquis more majorum confecto: alii *Brabantis* vendicant, ut Emond. de Dynter, Philippi II. Ducis Burgundia Secretarius. Denique sunt qui *Ingelhemium*, vicum prope Moguntiam, cunas Carolo dedisse asserant, quæ opinio communior est, probata Theodorico Niemio, Jacobo Spigelio, *notis ad lib. VIII, Guntheri p. 396.* doctissimoque Malinckrotio, *de Archieancellariis, part. 1. p. 7.* Gabriel Bucel-

rusis